

Non rata fides ubi iam melior

Fortuna ruit. (u)

(u) Seneca in Hercule Oeteo.

99. *Locus v.* Dandum est ξ καλόν. Vbi honestum est, Arist. (x) Nec n. omnia omni loco etiam exercenda & usurpanda. Sunt quæ palam in conspectu hominum fieri possunt, sunt quæ privatim commodius, quæ si confundantur non minimam sanè virtutis actioni labem aspergent & maculam inurent.

(x) d. lib. 4. c. 1.

100. Pharisaicum est illud & hypocriticum, si eleemosinas distributurus tubarum sonitu omnia compleas, plebem convoces, & velut alter Turnus medio in grege sis

— — *Toto vertice supra,*

digito monstreris & audias: Hic est ille magnus Meccenas. Hic est ille Demosthenes.

Et hæc de δόσει, jam de λήψει
paucula.

101. *Ratione λήψεως* Beneficus considerandus, tum ut accipit, tum ut accepta possidet.

102. *Vt accipit.* 1. Non est nimium αἰτητικὸς & proclivis ad petendum. Esset n. hoc avaritiæ & impudentiæ quæ suis ut contenta sit, ne Attalicis quidem conditionibus adduci posset. At ab hisce tam longè abest beneficus quàm ab extremis Indis columnæ Herculis.

103. 2. Accipit ὅταν δεῖ, ubi decet. Et quidem ἐνικα τῷ καλῷ καὶ δόσει. Honestatis causa & ut inde dignis largissimè erogare possit.

104. Quod ergò de xenjis D. Severus & Antonius Impp. Proconsulipræscribunt. (y) Neq; omnia, neq; quovis tempore, neque ab omnibus accipias. Nam valde inhumanum est à nemine accipere, sed passim vilissimum, & omnia avarissimum: Id beneficus vel sua sponte sequitur & oblectat.